SOLEMNIA NATALITIA

REGIS AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI

FRIDERICI VVILHELMI III.

DIE III. AUGUSTI H. XI.

AB

UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

RITE PIEQUE CELEBRANDA

MAGNIFICI RECTORIS ET ILLUSTRIS SENATUS AUCTORITATE

INDICIT

D. FRIDERICUS BLEEK,

ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM H. T. DECANUS.

Insunt de libri Geneseos origine atque indole historica observationes quaedam contra Bohlenium.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVI.

Qui in critica librorum Veteris Testamenti historia vel mediocriter versatus est, non ignorat, qualis iam inter theologos existat de Genesi sententiarum diversitas. Controversae sunt quaestiones de libri huius auctore et aetate, de eius compositione et fontibus quibus auctor in conscribendo usus sit, de historica denique veritate et auctoritate. Quae controversiae tantum abest ut eorum virorum doctorum, qui nuperrime singularibus scriptis hunc librum exegetice aut critice dilucidare conati sunt, opera sint compositae ut ipsi demum, quibus de rebus lis agatur, luculentius oculis subiiciant, et fieri non possit quin et novo cum vigore certamen exardescat, et multi unquam litem diremtum iri desperent. Ipsi enim, qui novissime de libri huius origine atque indole disputarunt, in diversissimas partes abierunt, et quae his illis dudum iam explosae videbantur sententiae, suos denuo tutores ac defensores nactae sunt. Sic Hartmannus, theologus Rostociensis, in opere satis amplo recoxit eam sententiam, quam Vaterus aliique proposuerunt, Genesin cum ceteris Pentateuchi libris ex plurimis variorum auctorum scriptis et scriptorum fragmentis consarcinatam esse, idque non ante exilii Babylonici tempora factum esse putat. Alii etiam nunc duo potissimum scripta fuisse existimant, alterum elohisticum, alterum iehovisticum, ex quibus universum Geneseos argumentum haustum totusque liber compositus sit. Contra Geneseos et totius Pentateuchi scriptorem non nisi unum esse eumque Mosen, qui ex aliorum auctorum scriptis nihil plane petierit suisque miscuerit, post Ewaldum, qui ipse tamen serius sententiam retractavit, et Sackium nostrum uberius demonstrare conatus est Fridericus Henri-

1

cus Ranke, vir tam cordatus quam sagax, qui nisi nimium sibi probandum proposuisset, valde idoneum sese omnibus litterarum sacrarum investigatorem probaturus esset. Idemque iudicandum est de alio theologo, Ioanne Nicolao Tiele, iam munere ecclesiastico Mittelsburii ditionis Bremensis fungenti, qui commentarium in Genesin inchoavit et ex dimidia parte confecit, qui eruditione haud exigua refertus hoc maxime sibi propositum habere videtur, ut mere historicum libri argumentum vindicet; in quo tam severum auctor sese exhibet iudicem, ut iis etiam succenseat, qui vel in vestibulo libri non simplicem nudamque rerum historiam enarratam agnoscant. Neque tamen his in libris quid mihi placeat, quid displiceat, uberius hoc loco recensere animus est. Longe aliud ingenium conspicitur in eo libro, quem eodem fere tempore Petrus de Bohlen, Professor Regiomontanus, vulgavit: *Die Genesis historisch-kritisch erläutert. Regiom.* 1835. Cuius quidem viri docti de Geneseos origine atque indole haec fere est sententia, quam in critica introductione in totum opus fusius exposuit et in prolegomenis singulis capitibus praemissis atque in notis versioni vernaculae subiectis identidem repetiit et confirmavit. Duos tantum vult scriptores in conscribenda Genesi et tota Pentateucho elaborasse; v. *introd.* §. 24. 25. priorem eum esse, cuius sint elohisticae narrationes, quae per Genesin deprehenduntur, eumque non ante septimum a. Ch. seculum vixisse; ante hoc seculum omnino nullam Pentateuchi sectionem conscriptam esse existimare videtur, nisi Iacobi patriarchae benedictionem Genes. 49, cui aetatem Davidis aut Salomonis et ipsum auctorem Nathanum prophetam adsignat; Mosi vero totius operis ne litteram quidem tribuit. illud vero scriptum elohisticum exceptum esse a seriori diasceuasta, qui, non ante exilii tempora, toti operi eam formam atque ambitum dederit, quo adhuc extat. In quo tamen duplicis tantum elaborationis distinctione non omnino constare sibi videtur auctor. Ipse enim eam legem, quae anno duodevicesimo Iosiae, regis Iudaeorum, ab Hilkia pontifice in templo reperta esse dicitur (2 Reg. 22), eaque, Bohlenio auctore, antea ab ipso Hilkia et Ieremia propheta, quem non dubitat pontificis filium nuncupare (v. p. CLXIV. CLXVI. CLXVIII.), licet ipse propheta Hilkiae quidem filium sese appellet, non vero summi pontificis, sed unius sacerdotum Anathothi (Ierem. 1, 1.), sociis etiam Saphano scriptore, Ahikamo

eius filio et Hulda prophetissa assumtis, conficta et supposita, neque scriptoris illius elohistici opus fuisse existimat, neque universum pentateuchi volumen; sed breve legum compendium, quod ad summum nostrum Deuteronomium complexum esse, p. CLXI cum Vatero suspicatur. sequentibus autem plagulis hoc nullo modo dubium ei esse videtur, compendium illud a pontifice et propheta fabricatum in nostra pentateucho reperiri, quum orationis ac stili similitudinem, quam Deuteronomio maxime cum Ieremiae scriptis intercedere iam alii viri docti viderunt, persuasum sibi habeat non nisi hac via satis explicari posse, ut ipsum prophetam in illud conscribendum operam suam contulisse statuatur. itaque legis illud compendium Iosia rege prolatum ex Bohlenii sententia medium tenere videtur inter elohistici scriptoris opus non ita multo ante confectum, et nostram pentateuchum exilii demum tempore consummatam; nec video quo iure (p. CXC) Ewaldum vituperet, quod triplicem huius operis elaborationem distinguat, quum ipse eandem sententiam effugere nesciat. Fortassis tamen quae p. CXC sq. contra triplicem elaborationem disputat, licet verba ad totam pentateuchum pertinere videantur, non nisi de Genesi intellecta vult. Hunc autem librum Iosiae tempore confectum esse dubitare non videtur. quum enim Genesis (cum aliis Pentateuchi particulis) animum ei prodere videatur in Aegyptios odio hostili flagrantem, erga Chaldaeos autem et huius regionis populos aequiorem et tantum non benevolum, ad eiusmodi librum conscribendum nullum tempus aptum reperiri posse censet, quam Iosiae regis aetatem, qua Iudaei atroci ac periculoso cum Aegyptiis bello impliciti non possent non potentioris regni idque tunc temporis Babylonici auxilium affectare; quare tunc maxime interfuisse putat, Iudaeorum originem ad Mesopotamiam referre. De auctore quidem Geneseos et trium sequentium librorum affirmare nihil audet, licet in his quoque libris conscribendis Ieremiam partes aliquas sustinuisse haud plane absonum fidei ei videatur (p. CLXIX). hoc tamen persuasissimum ei est, quod refutari nullo modo possit, illos quoque libros neque ante Iosiae aetatem neque ante Deuteromium in publicum prodiisse (v. *ib.* p. CLXXVIII. 148. al.). Quod autem ad historicam Geneseos indolem attinet, plurimum abest ut Bohlenio ii satisfaciant, qui primam generis humani originem non nisi mythice tradi potuisse censeant, aut qui ipsi populi dei historiae in

scriptura sacra enarratae hic illic aliquid mythici adspersum esse negare haud audeant; imo totum librum ab initio usque ad finem fictitium existimat et mythis ac fabulosis traditionibus refertum. Neque vero in mythorum istorum indole aestimanda constare sibi videtur vir doctus. dum enim ea, quae mirabiliter facta narrentur, quae per se iam ad mythicum genus referenda censet (p. XVII.), consulto ficta esse p. XXVI. diserte neget, aliis locis haud paucis ita disputat, ut tantum non omnes fere Geneseos narrationes ab auctore libri aut ab iis, a quibus illas acceperit, ad populi Hebraici originem celebrandam mere ementitas esse haud dubitare videatur; v. p. 168. 182. 183. 325. 326. 350. sq. 419. al. Neque hoc sibi, interpreti historico atque critico, iniunctum esse putat, ut, quid forte commentis istis verae historiae subsit, investigare conetur. In quo tamen genere haud dissimulandum est passim auctorem desudasse et miram artem exercuisse. Sic Amraphelum, qui Gen. 14, 1. tempore Abrahami rex terrae Sennaar i. e. Babyloniae dicitur, Sardanapalum, regem Assyrorum, fuisse suspicatur, nec non Chodorlahomorum, qui ibidem rex Elamitarum audit, Belesyn Babylonium, et Ariochum, regem terrae Ellasar, Arbacem Medum, quartum autem quem cum illis regi Sodomorum eiusque sociis bellum fecisse narratur, Thidalum, regem Goiorum (גוים), non nisi agminis augendi caussa adiectum esse, ut Abrahami victoria, de iis reportata, tanto splendidior evaderet. Multo magis autem sagacitatis suae audaciam in eo probavit, quod Nimrodum, quem Genesis primum nobis exhibet, qui magnum imperium condiderit, quod initium ceperit a Babylone et deinde per Assyriam progressum sit, nec non qui Niniven aliasque huius regionis urbes antiquas condiderit (c. 10, 8—12), non dubitat Merodachum illum esse Baladanum, qui aetate Hiskiae regis Iudaeorum et Iesaiae prophetae Babyloniam provinciam per breve tempus a regum Assyriorum dominio liberavit. nec tamen explicavit nobis auctor, quomodo fieri potuerit, ut ab illo Merodacho proverbium oriretur, scriptoris tempore inter Israelitas pervulgatum: »*ad modum Nimrodi fortis venator coram Iehova*«, aut ut urbs quaedam Resen κατ' ἐξοχὴν magna appellaretur (הָעִיר הַגְּדֹלָה), cuius praeterea nullum plane vestigium reperitur. qualia quidem aliis iudicibus haud temerariis indicio forte erunt, extare his versibus populorum Asiae superioris historiae antiquissimae fragmentum genuinum, quaecunque Graecorum scrip-

tores nobis tradiderunt et antiquitate et auctoritate longe praestans. — Deinde quum auctor p. XXVI a cuiusque mythorum seriei interprete historico critico hoc flagitet, ut philosophemata isagogica involucro quasi gentili exuere et sobrie ad eorum principia reducere tentet, ipse tamen huic officio non multum operae impendisse videtur, nisi forte hoc laudi dandum sit, quod persuadere nobis studeat, iis, quae capite tertio leguntur, ex scriptoris consilio non lapsum generis humani exhiberi et peccati in terra originem, sed potius hominis ad deum elevationem per ipsam praecepti divini migrationem effectam, (v. p. 46.); quae explicatio cum recentissimae philosophiae commentis mirifice consentit. Quum vero p. XXVII Israelitas gentem appellet, »*welche zwar auf dem Schauplatze des Alterthums keinen bedeutenden Rang eingenommen, und weder durch glänzende Kriegsthaten noch durch Handel und Erfindungen oder überhaupt durch einen überwiegenden Grad geistiger Bildung sich ausgezeichnet, aber als die Quelle der geläuterten religiösen Kultur auf alle civilisirten Völker der westlichen Welt einen höchst segens- und erfolgreichen Einfluss geübt hat, und deren Litteratur-Ueberreste für den Alterthumsforscher, den Historiker und besonders den Gottesgelehrten von hoher Wichtigkeit sind*«, librum tamen Geneseos hac de laude excipere videtur. Nam animum passim prodit in hunc librum eiusque auctorem vehementer infensum; et quum non dubitet, patriarcharum facinora etiamsi non honesta nec laudabilia, a scriptore eo consilio narrari, ut eorum virtus celebretur, quae autem in prima libri parte leguntur de cosmogonia et antiquissima generis humani historia traditiones, eas non solum ex aliorum populorum mythis et libris sacris haustas esse, sed in iis multo quoque puriores ac simpliciores haberi, per se patet, talem librum purioris religionis scientiae fontem nullo modo haberi posse. Haec autem est sententia Bohlenii quam maxime miratus sum, scripti illius elohistici, quod Geneseos diasceuasta in usum suum adhibuerit, auctorem non solum narrationes suas e populorum exterorum traditionibus hausisse, sed etiam formam peregrinam et polytheisticam, mores externos et ideas maxime Chaldaicas in iis retinuisse, et ea, quae populi Hebraici atque cultus Iehovae intererant, omnino non curasse; neque contrarium inde probari, quod scriptum illud antiquissimam Hebraeorum historiam tetigerit, quum Chaldaei atque Phoenices cete-

raeque gentes Cananaeae cum Hebraeis eosdem sibi maiores easdemque traditiones vindicare potuerint. Cui sententiae non multos eum credo adsententientes habiturum esse. Equidem in hoc consentio, Genesi nostrae subesse aliud scriptum vetustius, eandem temporum seriem inde a creatione mundi usque ad patriarcharum Hebraeorum mortem tractans et deinde ulterius etiam Israëlitarum historiam persequens, idque usque ad Mosis tempora de deo non nisi nominibus appellativis אלהים, אל שדי utens, eo autem vocabulo, quod dei ab Israelitis culti proprium habebatur, יהוה dico, constanter abstinens. haec est coniectura a de Wettio proposita, quam inter alios Ewaldus suam fecit, eaque in perplexa de huius libri compositione ac origine quaestione mihi tanta probabilitate esse videtur, ut tantum non evidens dicenda sit. Hoc quidem scriptum Geneseos nostrae auctor reperit et in suum usum ita adhibuisse videtur, ut totum eius argumentum per singulas particulas in opus suum reciperet. et ita recepit, ut etiam nunc, quae illius scripti fuerint, magna ex parte dignosci possint, indeque qualis in universum eius fuerit indoles cognosci; omnia docent, brevem fuisse ac succinctam, at continuam rerum inde a mundi creatione gestarum historiam. Neque tamen, si initium scripti exceperis, ita immutata recepit, ut plane restitui possit; sed passim ita suis miscuit, ut non ubique separari possint, idque eo minus, quo ulterius historiae narratio progreditur. Et hoc quidem bene perspexit Bohlenius; qui eo quoque laudandus est, quod non ad eorum sententiam accedat, qui Geneseos auctori aliud scriptum continuum mere iehovisticum ad manum fuisse statuunt quoad argumentum elohistico illi parallelum, ex quo ea omnia, in quibus Iehovae appellatione utitur, hauserit, ita ut ex duobus hisce scriptis vetustioribus, altero elohistico, altero iehovistico totus Geneseos nostrae liber conflatus sit. equidem hoc valde probabile duco, auctori praeter opus illud elohisticum quod vocatur alia quoque scripta adfuisse, ex quibus haec illa hauserit et ad suum usum adhibuerit; sic non dubito ea, quae c. II, 4—III. leguntur, e vetustiore scripto, mundi creationem et antiquissimam generis humani historiam tractanti, excerpta esse, nec non carmen Lamechi c. IV, 23—24 a Geneseos auctore aliunde sumtum esse. sed hoc cum Bohlenio contendo, longe plurima quae iehovistica in Genesi habentur, ea maxime quae scripti elohistici nar-

rationibus sunt intermixta, ab ipso Geneseos auctore primum conscripta esse, nec aliis ex libris repetita. At vero in summo vir doctus errore versatur, dum scriptum illud elohisticum auctori tribuit, qui Hebraeorum theocratiam et cultum Iehovae nihil curarit. Etenim iam alii viri critici, qui omnino istam scripti elohistici continui coniecturam commendarunt et receperunt, recte viderunt, eiusdem scripti ea fuisse, quae Exod. 6, 2 sq. leguntur; quae quidem luculenter ostendunt, appellatione Iehovae auctorem per totam patriarcharum et antecedentem historiam ad Mosen usque non ex cultus Iehovistici ignorantia et incuria quadam abstinuisse, sed veneratione potius, consilio ac deliberatione, quod persuasum sibi haberet, non ante Mosen hanc numinis appellationem revelatam esse, neque aequum duceret, ante hoc tempus ea vel in rerum gestarum narratione, nedum in ipsius dei et patriarcharum sermonibus uti, licet Iehovam non alium deum esse quam qui patriarchis apparuerat (v. Exod. l. l.) et universum mundum creaverat nullo modo dubitaret. quae quidem ratio adeo perspicua est atque evidens, ut nec ipsum Bohlenium putem aliter iudicaturum esse. Quare quae de scripti elohistici, quatenus eius particulae per Genesin dispersae habentur, indole peregrina, polytheistica affert, per se ut futilia et incaute dicta evanescunt nec uberiore indigent refutatione. Neque mihi hoc loco animus est, totam de scripti illius vetustioris, elohistici dicti, indole atque ambitu eiusque cum nostra Genesi relatione quaestionem ultra prosequi, quod fieri non posset, nisi accurata de tota Pentateucho una cum libro Iosuae disputatione instituta, neque vero singula quaeque, quae in Bohlenii libro mihi falsa, imo etiam inepta videntur, — sunt autem non pauca — recensere atque refellere. pauca tantum ex universo ipsius Geneseos argumento afferam, quae, Bohlenii sententia de sera huius libri aetate et mythica totius scripti indole probata, haud facile quisquam explicaverit; et duo sunt, quae hunc in finem paulo accuratius inspiciemus, primum quae res gestae narrentur eorum, qui gentis Hebraeorum singularumque eius tribuum primi auctores perhibentur, deinde quaenam terrae Israeliticae urbes maxime celebrentur.

Quidquid de auctore Geneseos eiusque consilio iudices, hoc sanus nemo infitiabitur, Hebraeum eum fuisse, qui genus suum eiusque auctores magni faceret, neque eum in finem scripsisse, ut maiorum de fama detraheret;

quare si quid de patriarchis relatum legimus, quod non ex nostro solum, sed ex Hebraeorum quoque iudicio non poterat non parum honestum atque laudabile videri, suspicari nullo modo licet, ab ipso libri scriptore ex arbitrio haec ficta esse, sed referri ab eo, quae a maioribus tradita erant, quos nec ipsos verisimile est ad suorum abavorum famam detrectandam ita animum intendisse, ut dedita opera talia eorum facinora confingerent, quae per se parum honorifica erant et quibus non poterant non videri aliarum gentium autoribus virtute et honore cedere. Si quis autem libri conscriptionem tam serae, quam Bohlenius, aetati tribuet, dubitare non poterit, deberi eam aut sacerdoti Levitico aut alii cuidam regni Iudaici civi. quam coniecturam haud parum confirmatam putabit, si in libro inter maiores eos maxime celebrari invenerit, qui sive vere sive falso auctores habebantur illarum tribuum, quae regnum Iudaeum constituebant, maximeque ipsius Iudae et Levi, quum tertiae tribus, a Beniamino dictae, non adeo magnae in hoc regno fuerint partes. sin minus, ipsi coniecturam talem in falsitatis suspicionem venire necesse est. Iam vero si quis Geneseos argumentum consideraverit, non multa inveniet, quae eiusmodi sententiae faveant. Inter filios enim Iacobi per totum librum non Iuda et Levi prae ceteris celebrantur, sed Iosephus, pater Ephraimi et Manassis. Iosephus filius perhibetur Rachelae, dilectissimae Iacobi uxorum, pro qua lubenter bis septem servitutis annos suscepit, Levi et Iuda ambo filii Leae, mulieris oculis lippae et patriarchae odiosae, quam patris dolus invito obtruserat. Quodsi tota duodecim Iacobi filiorum historia ipsaeque eorum personae nominaque, quae Bohlenii est sententia, (v. p. LXXVI, CXXIV. 257. 286 sq. 349. 351. 429. al.), veritatem historicam nullam haberent, sed ad fabularum ementitarum genus pertinerent, idque seriori aetate, postremo regni Iudaici ante exilium seculo, excogitatarum, quidni Levin et Iudam dilectioris celebratiorisque uxoris filios finxisset fabula et germanos Beniamini fratres, cuius tribus cum tribubus Iudae et Levi per tria saltem secula eodem regno coniuncta erat. Si genealogia ista, qua Beniaminus germanus Iosephi frater sistitur, mere ficta esset, sive paulatim populi ore, seu scriptoris cuiusdam arbitrio, saltem non post Salomonis aetatem ficta esse posset, quum post huius regis mortem Beniamini tribus nunquam non cum Iuda contra duas, quae a Iosephi filiis derivantur, tribus coniuncta fuerit.

Contrarium omnino non nisi Saulo mortuo evenit. tunc Beniaminitae cum Ephraimitis et ceteris tribubus, quae seriori tempore regnum Israeliticum effecerunt, Davidi, cui tribus Iudae obtemperabat, duos per annos restiterunt, regemque habuerunt Isbosethum, Beniaminitam, Sauli filium. per hoc tempus si quis Hebraeus nec ipse tribus Iudae civis, poetice singularum tribuum origines commentabatur, fieri poterat, ut Beniaminum germanum Iosephi fratrem fingeret. sed idem ceteras quoque tribus, tunc temporis cum Ephraimo, Manasse et Beniamino contra Iudam coniunctas, ad eandem cum Iosepho et Beniamino matrem retulisset, neque maxima ex parte ad Leam, matrem Iudae. praeterea vero ista Beniamini tribus cum Ephraimo et Manasse coniunctio brevius duravit tempus, quam quo talis de communi Iosephi et Beniamini matre fabula fingi et ita solidari potuisset, ut per sequentia omnia secula, quibus Beniaminus cum Iuda contra Iosephi posteros coniunctus fuit, sine ulla haesitatione teneretur. Vides, commentum istud de communi Iosephi et Beniamini matre ex politicis seriorum temporum rationibus non explicari; nec idem satis ex geographicis rationibus explicatur, e situ regionum, quas singulae tribus occupaverant. Nec invenio aliam, quae satisfacere possit, explicationem, quam quae ad antiquissimam traditionem et ad ipsam rei veritatem recurrit. Cum hac autem originis et utriusque parentis communione cohaerent, quae Genesis narrat de insigni amore, quo Beniaminum complexus sit Iosephus; quae sane vix finxisset poeta, qui posteriorum temporum rationes inde a Salomonis morte ante oculos haberet. Quod autem Bohlenius putat, ea quae c. 44. leguntur, Iudam apud Iosephum pro Beniamino vadem sese dedisse, eo consilio narrata esse, ut singularis, quae tribui Beniamini cum Iuda interfuit, necessitudo explicaretur et Beniaminitae admonerentur, quantum Iudae deberent, equidem fateor, me non ea esse sagacitate, ut eiusmodi consilii vestigium detegere valeam. equidem existimo, Iudam sese vadem pro Beniamino obtulisse, quoniam Iacobo pro eo fidem suam interposuisset, hoc autem non alia caussa eum fecisse, quam quod aliter a patre, ut quem iam unicum Rachelae filium superstitem putaret, emitteret, impetrare non posset. nihil autem video, quod singularem erga fratrem benevolentiam et pietatem testetur, qualem Iosephi erga Beniaminum conspicimus et qualis ad tribuum Iudae et Beniamini coniunctionem explicandam faciat.

Sed mittamus matres et cetera circumspiciamus paulisper, quae de filiorum Iacobi rebus gestis et moribus Genesis nobis repraesentat, Iosephi maxime et Iudae atque Levi. Etiam hac ex parte non ea invenies, quae iure expectari possent, si opus esset scriptoris Iudaei septimi aut sexti a. Ch. seculi, qui maiorum historiam ad suum arbitrium componere atque adornare haud dubitaret; tunc enim alias sine dubio partes patriarchis istis tribuisset, quam quas in Genesi singuli sustinent. Et Levi quidem non nisi socius sistitur Simeonis fratris in Sichemitarum caede (c. 34), in qua committenda adeo crudeliter, adeo fraudulenter ac perfide eos versatos esse narratur et tanto dolore atque indignatione Iacobum patrem affecisse, ut nemini in mentem venire possit, eorum agendi rationem forte ab ipso narrationis auctore, licet eorum excusationem haud silentio praetereat (v. 31), ita probari et commendari, ut totum facinus ad patriarcharum laudes celebrandas confingi potuerit. Bohlenius quidem non dubitat, facinus illud crudele eum in finem non conscriptum solum, sed confictum esse, ut explicaretur dirarum ratio, quas veterior poeta (Nathanus propheta) Iacobum moribundum duobus illis filiis imprecantem finxerit (c. 49, 5-7). neque tamen explicuit nobis, ad quodnam tandem facinus revera carminis illius effatum in Simeonem et Levim spectet. Respici autem singulare quoddam facinus, poetae notum et quod ipse lectoribus satis notum sciebat, ex effati argumento atque indole evidenter patet, nec ab ipso Bohlenio negatum iri credo. Cuius sententia haec esse videtur, eo quidem tempore, quo carmen illud compositum sit, Davidis aut Salomonis aevo, facinoris cuiusdam turpis, quod qui tribuum Simeonis et Levi auctores habebantur commiserint, famam sive veram sive falsam vulgatam fuisse, eam vero postea ex hominum memoria plane excidisse, et seriorem Geneseos scriptorem ut carminis a se recepti effatum lectoribus suis explicaret, de novo turpe aliquid ex ingenio suo invenisse (v. p. 326. sq. 457. sq.). sed vereor ut hanc coniecturam, quam evidentissimam praedicat (p. 457), sobrii iudices probaturi sint et simpliciorem habituri atque verisimiliorem, quam vulgarem sententiam, carminis illius auctorem, quisquis fuerit, non ad aliud facinus respexisse, quam quod in superiore Geneseos parte relatum legimus. Eandem tamen argumentandi rationem, ut hoc obiter memorem, Bohlenius adhibuit iis, quae c. 37, 22 de Rubeni flagitio narrantur,

concubuisse eum cum Bilha, patris pellice; quod a Geneseos auctore eo consilio relatum esse putat, ut sibi et lectoribus explicet, quo tendant verba in carmine illo a Iacobo in hunc filium prolata (c. 49, 4): *ne excellas; nam ascendisti cubile patris tui; tunc profanasti* (*illud*); *cubile meum ascendit*; quae quidem verba ex ipsius poetae consilio non nisi hoc sibi velle censet, tribum Rubeni principatum affectasse (v. p. 447 sq.), licet de tali illius tribus conatu nihil omnino nobis traditum sit. sed hoc memorasse suffecerit. Ad Levim autem ut paucis redeamus, cui non mirum videatur, quae Bohlenii est sententia, scriptorem Iudaeum circa exilii tempora viventem, eumque sacerdotem Leviticum, qui in populi sui origine describenda maxima licentia poetica uteretur, ad ipsius tribus autoris sive veri sive ficti nomen celebrandum tam parum intentum fuisse, ut non haesitaret carmen recipere, quod patrem moribundum faceret vehementer filio illi propter crudelitatem commissam irascentem eiusque posteris non nisi infausta imprecantem, ut ipse ex suo ingenio fingeret facinus parum honestum a Levi cum Simeone patratum, quo patris ista indignatio explicaretur, neque vero operae pretium duceret vel ullum aliud eius facinus magis laudabile afferre, quod generis sacerdotalis auctorem virtute, honestate atque magnanimitate fratribus haud inferiorem exhiberet. Qualem Genesis nobis Levin repraesentavit, repraesentare non potuisset, si opus esset scriptoris, qui ipse Levim generis sui auctorem haberet atque coleret, neque omnino si scriptoris Iudaei, qui ea aetate viveret, quae sacerdotes Leviticos aliquo in honore haberet, quique ipse ad eorum auctoritatem augendam aliquid facere vellet (v. Bohlen. p. CLXIV); nisi forte eundem in referendis iis, quae a maioribus memoriae tradita acсepisset, ita religiosum sese praebuisse statueris, ut nec dissimulare aliquid neque exornare neque de suo addere fas duceret; qua laude Bohlenius saltem omnium minime dignum eum existimat.

Iam videamus de Iuda quid nobis Genesis exhibeat, quarto filiorum Iacobi ex Lea. Quem fidem suam Iacobo pro Beniamino cum fratribus in Aegyptum migraturo interposuisse et postea Iosepho, ut Beniaminum ad patrem remitteret, semet ipsum vadem obtulisse, modo obiter attigimus. idem antea fratribus auctor fuerat, ut Iosephum e cisterna extractum mercatoribus Midianiticis venderent, idque miseratione atque sensu fraterno permotus

(c. 37, 26 sq.). Neque tamen vel hoc vel illud ita narratur, ut scriptorem de industria Iudae humanitati, pietati aut honestati celebrandae operam dedisse suspicari liceat. Parum autem honorifica apparent, quae c. 38 narrantur, primum, uxorem eum duxisse mulierem Cananaeam, eamque posterorum id est Iudaeorum matrem effecisse; deinde, concubuisse eum cum ipsius filii defuncti uxore ex eaque geminos filios genuisse, Serachum et Pherezum. quorum hic a Iudaeis proavus Davidis et qui eum sequuti sunt omnium regum Iudaicorum habebatur. Hoc autem ipsum Bohlenius putat auctori in caussa fuisse, ut hanc rem enarraret aut fingeret potius eaque mediam Iosephi historiam interrumperet, quod regum Davidicorum maiores ad ipsas tribus Iudae origines referre vellet (p. 362 sqq.). Sed viderit vir doctus, qualem veritatis speciem habeat, scriptorem Iudaicum septimi aut sexti seculi ad tribus Iudae et regum Davidicorum auctoritatem commendandam et confirmandam talia maxime commenta conducere putasse, quibus Iudaeos magna ex parte e matre peregrina eaque Cananaea progenitos faceret, Davidis autem et regum Davidicorum genus ad incestum referret, quod utrique parenti ex lege Levitica scriptori non ignota (v. Bohlen. p. 364) capitis poena luendum esset. Quod autem ait, tribus principatum tenentis auctorem quavis reprehensione exemtum esse (p. 365), ineptum est putare, hoc ad explicandam commenti originem sufficere. qui enim maiorum historiam ad suum arbitrium adornare haud dubitaret, cur non generi regio, cuius auctoritatem commendaturus esset, originem magis honestam vindicasset? cur de Davidis maioribus et de totius tribus autoribus fabulas finxisset, quae non poterant non in offensionem populi cadere et ab invidis potius tribus regnique Iudae obtrectatoribus confictae videri, quam a benevolis patronis. Vides quantopere haec eiusmodi de Geneseos origine sententiae, qualis Bohlenio certissima est et evidentissima, repugnent. Si ficta essent quae hoc capite leguntur aut ex arbitrio scriptoris adornata, non a Iudaeo conscripta esse possent; sin ab alio auctore conscripta essent, hoc longe ante exilii tempora, imo ante Salomonis atque Davidis aetatem factum necesse esset; alias enim fieri nullo modo potuisset, ut ipsi Iudaei eius commentum non repudiarent, sed acciperent et suum facerent. Quod si concesseris, non multum refragaberis, si quis ex ipsa narrationis antiquitate historicae eius fidei indicium

peti posse contenderit. Neque vero mihi quidem narrationis huius indoles ea esse videtur, quae confictam eam esse ullo modo probabile efficiat. Hoc saltem concedes, omnibus licet non multis, quae de Iudae agendi ratione nobis in Genesi referuntur, comprehensis, non apparere studium aliquod, eius laudis augendae, neque vero minuendae. Simpliciter reddidisse videtur scriptor, quae ei de Iacobi filio sive populi ore seu antiquiorum scriptorum monumentis innotuerant. Quod idem iudicabis de iis, quae de Rubeno, primogenito patriarchae filio, relata habentur; cuius quum incestum narraverit cum patris pellice commissum, neque ea dissimulavit, quae non possent non laudabilia videri, operam eum dedisse, ut Iosephum cruentis fratrum iratorum manibus eriperet, vehementique dolore affectum esse, quum nihilominus eum occisum esse opinaretur (c. 37, 21 sq. 29 sq. cf. 42, 22.), eundemque postea patri, Beniaminum incolumen ex Aegypto reductum iri, spopondisse duorumque suorum filiorum vitam in vadimonium obtulisse (c. 42, 37).

Paulo diversa est ratio Iosephi. Cuius res gestas in Genesi relatas quum nemo ignoret, non opus est nisi paucis in memoriam revocare, qualis eius in hoc libro imago repraesentetur. Patri inter filios ab initio dilectissimus est, puer iam singulari vestimento ab eo insignitus (c. 37, 3); in maximum continuumque luctum incidit patriarcha, quum periisse eum opinetur, ut filiorum omnium filiarumque consolationem repudiet, nec nisi ad Iosephum ad inferos descendere velit (ib. v. 33—35); resuscitatur dolor, quum verendum sibi putet, ne Beniamino quoque orbetur, uterino Iosephi fratre, quem Iosephi maxime caussa prae ceteris carum habuisse videtur (c. 42, 36). nuntio de Iosephi vita a filiis secunda vice ex Aegypto reducibus accepto fidem habere vix audet; credens autem non moratur, patria relicta, cum tota domo in terram peregrinam migrare, ut ante obitum filium dilectum videat, quem videns iam laetum se diem supremum obiturum esse fatetur (c. 45, 28. 46, 30). tandem vero singulare ei amoris documentum dat, dum eius filios ante ipsius in Aegyptum adventum natos, Manassen et Ephraimum, adoptat, ita ut eodem cum propriis ipsius filiis ordine atque iure futuri sint, insigniter iis benedicens et de futura, qua Ephraimus maxime gavisurus sit magnitudine vaticinans, simulque Iosepho peculiarem prae fratribus haere-

ditatis partem adsignans. Neque tamen patri tantummodo carum Iosephum conspicimus; idem acceptissimus etiam deo fuit, qui puero iam magnitudinem futuram per somnia significavit (c. 37), qui in Aegypto cum eo fuit in domo Potipharis et in carcere, gratiam ei et heri illius et principis carceris conciliavit, omniaque quae eius operae committerentur prosperavit (c. 39, 2—6. 21—23), qui deinde e carcere eductum Pharaoni probavit virum spiritu divino plenissimum et ad res publicas temporibus difficillimis regendas aptissimum (c. 41, 38 sq.), eumque peregrinum ad summum altitudinis vestigium in Aegypto evexit, ut domui regiae totique terrae praeficeretur omniaque ex eius arbitrio penderent (ib. v. 44 c. 45, 8 al.); quo factum est, ut famis tempore cum aliis fratres iterata vice Iosephum supplices adirent, ut auctor salutis iis fieri posset, ne fame perirent, tandemque iis, haud abnuente Pharaone, optimum terrae Aegypti tractum peculio dare. Neque vero Iosephus tanta hominum deique gratia indignum sese praestat. quanta ille pietate est, ad deum omnia referens tam adversa quam fausta, neque sibi sapientiae exhibitae laudem arrogans (c. 45, 6 sqq. 50, 19 sq. 40, 8. 41, 16. 25); quam pia est patris senis reverentia; quanta castitate, quanta animi teneritudine erga Beniaminum, quam modesta erga omnes fratres magnanimitate, quos etiam post patris mortem fraterno amore complectitur et anxios de gravi quam olim passus erat iniuria consolatur (c. 50, 15 sqq. cf. 45, 1 sqq.). Quantum autem abfuerit Iosephus, ut generis sui, ut patriae, ut eorum quae deus patribus olim promiserat, in Aegypto oblivisceretur, luculento testimonio est, quod moribundus Israelitas iureiurando interposito polliceri sibi iussit, se, si quando deo iuvante in terram promissam reversuri sint, ipsius ossa secum vecturos esse (c. 50, 24 sq.); quod neque de Iuda nec de alio quopiam filiorum Israelis relatum legimus. Et haec quidem, quae de Iosepho nobis Genesis ante oculos proponit, si cum iis conferuntur quae de ceteris Iacobi filiis maximeque de Iuda atque Levi narrantur, talia sunt, ut, si quis cum Bohlenio totam Iosephi in Aegypto historiam ipsamque eius personam merum commentum habuerit poetae arbitrio fictum (v. p. 351), non possit non arbitrari, auctorem ad hoc intentum fuisse, ut earum tribuum, quae a Iosepho originem ducebant, maximeque Ephraimi (cf. 48, 14 sqq.) prae ceteris tribubus laudes celebraret auctoritatemque commenda-

ret. Cui rei num probabile sit scriptorem septimi aut sexti seculi, regni Iudaici civem, operam dedisse, ipse vir doctus viderit. Quod si post Salomonis obitum conficta haec essent, postquam populus in duo regna divisus erat, statuendum esset, commenti fabricatorem e tribu Ephraimi, saltem e regno Israelitico fuisse; quo facto rursus difficillimum foret ad explicandum, apud Iudaeos quoque hoc tale commentum fidem sibi fecisse ab iisque in librum legis receptum esse. Neque vero hoc probabile foret, Salomonis aut Davidis aetate, quum tribus Iudae principatum teneret, eiusmodi de tribuum Ephraimi et Manassis auctore commentum conditum esse. Reiiceremur igitur ad remotiora tempora ante Davidem, iisque statuendum esset has fabulas a cive quodam aut patrono tribus Ephraimi confictas esse, et eam ab initio fidem sibi conciliasse, ut Iudaei etiam seriores, quamvis Iosephitis parum benevoli, reiicere eas aut mutare iam non auderent. Verum eos quoque, qui nobiscum non dubitant, totam de patriarcharum vita narrationem, quae in Genesi habetur, non fabulam ementitam esse, sed quoad summam rerum historiam authenticam, in ipsa rerum gestarum veritate nitentem, fugere non poterit, Iosephi historiam prae fratribus singulari quodam studio atque cura enarratam esse, unde haud inepte coniicient, concinnatam eam esse eo tempore, quo Iosephi posteri, Ephraimitae, inter omnes populi Israelitici tribus primas partes tenerent. Et, ut dicam quod sentio, equidem nullus dubito, scriptorem illum elohisticum — ita enim consuetudinis atque brevitatis caussa dicere lubet — ut Abrahami, Isaaci, Iacobi, ita etiam Iosephi historiam litteris consignasse, eiusque enarrationem eandem esse, quae in Genesi habetur, singulis quidem quibusdam a libri diasceuasta additis aut paulisper mutatis, non tamen ita, ut rerum cardo tangatur; illum autem opus suum non post Sauli regis aetatem exarasse; nam seriori tempore si haec primum conscripta essent, auctorem probabile est, etiamsi a fingendis rebus gestis religiose abstinentem, historiae Iudae, autoris generis Davidici, maiorem respectum habiturum fuisse, minorem Iosephi.

Atque haec quidem, quam modo significavi, de scripti elohistici aetate sententia confirmatur mihi eo carmine, quo Iacobum singulis filiis fausta aut infausta imprecatum esse legimus c. 49. De quo quidem non possum quin ingenue hoc confitear, me persuadere mihi non posse, effata illa ab

ipso patriarcha moribundo poetico hoc sermone composita atque prolata esse, ex eius ore calamo excepta indeque nobis tradita. accedo eorum sententiae, qui hanc carminis formam seriori poetae tribunt; quem nec abnuo in formandis singulis effatis aliquem passim sui temporis respectum habuisse, earumque rationum, quibus tunc singulae tribus uterentur; unde factum, ut ipsius carminis argumentum diligenter perpensum ad aetatis qua confectum sit indagationem adhiberi possit. His autem vestigiis non ad Salomonis aetatem nos duci existimamus, quae est Bohlenii aliorumque virorum doctorum sententia, sed ad aevum paulo remotius, quod Davidis regno praecessit. eiusque rei documentum nobis hoc maxime est, quod illud quoque carmen, licet Iudam eximie celebret, priores tamen Iosepho deferre videatur. Qui aliter iudicant, hoc urgent, in effato de Iuda v. 8 sqq. iam regiam dignitatem respici, quae cum Davide ad illam tribum devenit. Neque negamus, aliquam hoc habere veritatis speciem, quum legamus, a fratribus celebratum iri Iudam, cuius manus futura sit in hostium suorum cervice, coram quo procubituri patris ipsius filii (v. 8.), nec non sceptri mentio fiat, quod ab eo non recessurum sit. neque sane si certa esset Davidica aut Davide serior carminis aetas, regiam illam dignitatem poetae ante oculos fuisse dubitaremus. Sed hoc censemus, eadem de Iuda praedicari potuisse a superioris aetatis poeta, qui ad sceptrum ducis spectaret, quod Iudas ut fratrum antesignanus iam tempore migrationis per desertum gessit (Numer. 2, 3—9. 10, 14), deinde post Iosuae mortem, populos Cananaeos et non ita multo post (tempore Pinehae, nepotis Aaronis) tribum Beniaminitarum debellaturus (Iud. 1, 2 sqq. 20, 18). Revera autem has superiorum temporum rationes a poeta respici, indicio mihi sunt ea ipsa, quae v. 10 priori hemistichio: *non recedet sceptrum a Iuda, et scipio inter eius pedes* (i. e. quem sedens inter pedes tenet erectum), adiecta leguntur:

עד כי יבא שלה
ולו יקהת עמים

Quo loco quantopere vocabulum שִׁלֹה interpretum ingenia exercuerit, nemo ignorat, nec huius est loci multiplices eius explicationes recensere et crisi subiicere. Bohlenius quidem eam viam sequutus est, quam plurimae versionum antiquarum praeiverunt, vocabulum שֶׁלֹּה pronuntiandum existimans.

compositum scilicet e praefixo ש (pro אשר), praepositione ל et suffixo ה, quod pro usitatiore ו in Genesi haud raro occurrit et sequenti statim versu bis legitur, ita locum, quem ad Salomonem trahit, vertens: *bis dass kommt der, dem es gebührt, und ihm Gehorsam der Völker wird.* Quae explicatio mihi non ideo displicet, quod ש praefixum alias in Genesi non legatur; habetur in antiquissimo Deborae carmine Iud. 5, 7; aut quod pro recepta lectione שילה legi necesse sit שלה sine י; nam hanc genuinam esse lectionem praeter quadraginta circiter codices Iudaicos omnesque Samaritanos antiquissimae omnes versiones testantur, nec valde reluctor, si quis alicubi in scriptis Hebraicis a recepta punctatione, hoc est ab interpretatione grammaticis Iudaicis probata recedendum censet. Sed vehementer dubito, eum sensum quem Bohlenius aliique volunt, verbis, etiamsi שֶׁלֹּה pronunties, inesse posse. Diversa est ratio loci ad quem provocant Ezech. 21, 32: עַד־בֹּא אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט, *usque dum venerit cuius* (est) *iudicium*, ubi ad subiectum המשפט verbum substantivum *esse* facile subauditur. nostro autem loco non verbum solum, sed ipsum etiam subiectum omissum esset; quae durities foret meo iudicio intolerabilis; nihil aliud esset ac si diceretur: *usque dum venerit cui*, ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ. sin quis dixerit, subiectum e priori hemistichio animo repetendum esse שבט, מחקק, saltem pronomen הוא diserte ponendum erat. Paulo facilius, quod ad grammaticam rationem attinet, foret ipsum ש pro subiecto et pronomine neutrius generis substantive dicto habere et לו ad Iudam trahere: *usque dum venerit quod ei* (scil. est destinatum, aut similiter). ita LXX interpretes secundum genuinam huius versionis lectionem: ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. sed haec quoque ellipsis parum probabilis est. Alii interpretes, receptam vocabuli punctationem retinentes, שִׁלֹה aut שִׁילֹה nomen appellativum habent, e radice שלה formatum, idque aut concretum aut abstractum. Qui concretum habent: *salvatorem*, *pacificatorem*, aut de Salomone cogitari volunt, ut ad regis huius nomen: שְׁלֹמֹה *pacificus* alludatur, aut Messiam intelligi; sed omnino, quod recte iam Iahnius vidit, nomen huius formae a verbo intransitivo derivatum significationem activam seu caussativam habere vix potest. Plerique autem recentiorum nomen abstractum habent: *tranquillitas.* Quae explicatio ceteris quas iam laudavimus praeferenda utique videtur, eaque in ore patriarchae sensum valde idoneum praeberet, modo tran-

quillitatem intelligas quietam terrae promissae possessionem, Iudam scilicet sceptrum, quo fratres ducturus sit, de manibus non depositurum, donec tranquillitas illa a deo promissa ventura ipsique (Iudae) gentes (peregrinae, Canaaeae) obediturae sint. Quod autem me impedit, quominus istam interpretationem veram existimem, hoc maxime est. etenim licet non desint nomina appellativa formae קִיטֹל, sunt tamen non nisi a verbis regularibus derivata, ut כִּישׁוֹר, צִינֹק, קִיטוֹר, כִּידוֹר, כִּיּוֹר; nullum extat a verbo quiescenti ל״ה derivatum, nisi duo nomina propria, urbium appellationes, quarum altera גִּלֹה, urbs in montanis Judae, bis occurrit (Ios. 15, 51. 2 Sam. 15, 12), altera שִׁילֹה aut שִׁלֹה (nam utroque modo, et plene et defective, hoc nomen scribi constat) urbs Ephraimitarum saepe memoratur. Quod autem nomen urbis, quam probabile est a quiete nomen accepisse, hac forma exstat, inde non sequitur, eiusdem formae etiam nomen appellativum extitisse; neque enim ex appellatione urbis גִּלֹה probari potest, eandem formam unquam pro appellativo exilium seu emigrationem significante in usu fuisse. Non negabis itaque, ipsum vocabulum שִׁלֹה, siquidem veris a punctatoribus vocalibus instructum, multo probabilius efficere, de nomine urbis cogitandum esse, de qua aliis omnibus locis, quibus legitur iisque haud paucis, dictum est, quam nomen appellativum intelligendum esse, quod alias hac forma nusquam reperitur. Neque vero hoc infitiaberis, eundem intellectum maxime commendari formula, qua nomen nostrum hic legitur: יָבֹא שִׁלֹה, quae per se spectata non habet difficultatem, si hunc eius sensum statueris: *veniet Silonem*, quum eodem sensu eadem formula 1 Sam. 4, 12. legatur: וַיָּבֹא שִׁלֹה *et venit Silonem.* Nec non eadem nostri loci explicatio prae illa, quae שִׁלֹה nomen appellativum abstractum esse vult, hoc habet commodi, quod quum ex utraque pronomen, quod sequenti membro in לוֹ habetur, ad ipsum Iudam referri necesse sit, haec relatio facilior utique est, si nostrum membrum proxime praecedens Iudam subiectum habet, quam si Iudae omnino mentionem non fecit. Simplicissima igitur totius versus interpretatio, si verba spectas, haec esse videtur: *non recedet sceptrum a Iuda, et scipio inter eius pedes, usque dum Silonem venerit eique gentes obedientes factae fuerint.* Neque apto plane sensu distituta ea dixeris, dummodo memineris, in Silone, Ephraimitarum urbe, ab Israelitis sub Iosua tabernaculum sacrum collocatum esse ibi-

que ad Eli pontificis usque tempora mansisse (Ios. 18, 1. 8. 10. Iud. 18, 31. 1 Sam. 4, 3: cf. Ps. 78, 60. Ierem. 7, 12. 14. 26, 16). Itaque Iudam — cum fratribus quorum esset dux — Silonem venturum esse dici poterat, quatenus sanctuarii in illo loco collocatio quodammodo finis erat vagationum populi in sedibus sibi comparandis versantis, atque initium plenae quietaeque terrae promissae possessionis. cf. Ios. 18, 1, quo loco postquam universum Israelitarum coetum Silonem congretatum esse ibique tentorium sacrum fixisse memoratum est, statim additur, terram iis subiectam esse (והארץ נכבשה לפניהם), sicut nostro loco τῷ שִׁלֹה יָבֹא arcte iungitur obedientia gentium. Idem vero populi ad Silonem conventus eatenus memorabilis erat, quatenus bellico sceptro, quo Iudas fratres ad gentes Cananaeas debellandas duxerat, ad tempus cessante principatus quodammodo ad eam tribum transiit, in cuius regione sacrarium erat, ad Ephraimum dico. Prodit igitur hic loci nostri sensus: Iudam fratres suos ut antesignanum ducturum esse, donec, debellatis gentibus (Cananaeis), terram promissam occupaverint et fixam sacrario Iehovae sedem conciliaverint. quam verborum interpretationem fateor mihi semper probatam esse. Qua admissa, carmen iam ante Davidis regnum compositum esse oportet, quum alias effatum de Iuda serioris etiam maiorisque regiae dignitatis rationem aliquam habiturum fuisset. Praeterea vero quae patriarcha v. 22—26. de Iosepho praedicat, ut selecto et consecrato inter fratres (נזיר אחיו), cui splendidissima quaeque et lautissima a deo precatur, ea sunt, ut carmen ante delatam ad tribum Iudae regiam dignitatem conscriptum esse valde probabile efficiatur. Neque vero hoc ego Bohlenio assentior, carmen nostrum seorsum et multo ante continuam patriarcharum historiam litteris consignatum esse. Equidem suspicor, quae eadem de Wettii sententia esse videtur, compositum esse a scripti elohistici auctore, cuius vestigia praeter v. 3 sq. 5 sqq. etiam v. 24 sq. invenio, ubi pro recepto ואת שדי cum codicibus Iudaicis quibusdam et Samaritanis omnibus restituendum est ואל שדי, (cf. Exod. 6, 3); versum autem duodevigesimum, qui tam contextum quam sermonem poeticum vehementer turbat, nullus dubito non eius esse, qui primus carmen egregium condidit, sed serius additum, idque forte iam a libri Geneseos auctore. Quam quidem de carminis nostri origine sententiam si quis probaverit, ei quae de scripti elohistici aetate

disputavimus ipsius carminis argumento confirmabuntur. idemque ex carminis huius totiusque scripti elohistici vetustate indicium petet, patriarcharum historiam singulasque res gestas, quae inde in Genesin nostram fluxerunt, antiquissima Hebraeorum traditione niti.

Sed videmus, nos in his exponendis longiores fuisse, quam animus erat. Quare missis, quae adhuc eiusdem generis contra Bohlenium adduci possent ex iis, quae Genesis exhibet de ipso Iacobo eiusque fratre Esauo, de Rebecca eorum matre, de Sara et Hagare, quae non omnia saltem talia sunt, qualia expectaremus, si merae fabulae essent, septimo aut sexto a. Ch. seculo a Iudaeis excogitatae et a scriptore Iudaeo adornatae, iam, quod secundo loco a nobis consideratum iri professi sumus, paucis videamus, quaenam terrae Israeliticae urbes in Genesi maxime celebrentur. Etenim si rerum gestarum enarratio, quae in Genesi habetur, postremo demum regni Iudaeorum ante exilium seculo primum litteris consignata, ne dicam, si tunc a Iudaeo scriptore eoque sacerdote Levitico esset conficta, auctor sine dubio eius urbis, quae inde a Davide caput regni fuit, inde a Salomone sedes templi et cultus Levitici splendidissimi, respectum praecipuum aut aliquem saltem habuisset, idque vel inscius laborasset, ut eam commendaret et urbem deo ante alias acceptam probaret. Verum quamvis multae Palaestinae urbes in Genesi memoratae sint, Hierosolymorum non est mentio facta, nec ullus extat locus, ubi auctor in eo esse videatur, ut illius urbis regionem iam antiquitus prae aliis sancitam esse significet. Sunt tamen qui aliter censent, inter quos Bohlenius. Qui primo cum aliis interpretibus plurimis non dubitat, cap. 22, 2. 14 sq. ad templum in monte Moriae exstructum respici ut locum, quem iam Abrahamus sacrificio suo consecraverit. At vero de monte Moriae sermonem omnino non esse, alio loco (*Theolog. Studien u. Kritiken* 1831, 3. *p.* 520—524) uberius probavi, ipsumque de Wettium, antea aliter iudicantem, adsentientem nactus sum (v. Eius *Einleitung ins A. T. edit.* 4. 1833, §. 148. *b. not. c.*). neque repetam argumenta illo loco a me prolata, quae Bohlenius non refutavit, neque explicavit, qui probabile sit, proficisci in *terram Moriae* ad aliquem montium quem deus patriar-

chae indicaturus sit (v. 2) idem esse atque proficisci in montem sub Moriae nomine notum, aut nomen יְהוָה יִרְאֶה (v. 14) idem esse ac מֹרִיָּה. Quod autem contra coniecturam a me propositam, scriptorem de regione Moreh prope Sichemum cogitasse, in qua Abrahamus iam antea altare exstruxerat (Gen. 12, 6), provocat ad montis mentionem et ad triduum, quo Abrahamus iter inde a Beerseba usque ad locum designatum absolverit, respondeo ad primum, non meminisse virum doctum loci Iud. 7, 1, ubi גִּבְעַת הַמּוֹרֶה appellatur, ad alterum, secundum tabulam intervallorum locorum Palaestinae apud Relandum Sichemum a Beerseba octoginta duo milliaria Romana abesse, hoc est sedecim circiter milliaria Germanica, quod quidem spatium trium dierum itineri sine multis impedimentis facto magis consentaneum esse videtur, quam quadraginta duo milliaria Romana, quibus Hierosolyma a Beerseba distabant.

Deinde Salem (שלם) urbem, Melchisedeci regiam c. 14, 18 cum *Iosepho Antiq. I*, 10, 2 non aliam urbem censet, quam quae pleno nomine Ierusalem (ירושלם) dicitur, in quo consentientes habet longe plurimos interpretum, inter alios Gesenium, Tielium, Carolum de Raumer (*Palaestina p.* 241). quod equidem non probo. Non ignoro Psalmi 76 auctorem v. 3. appellatione ista שָׁלֵם pro יְרוּשָׁלַיִם usum esse. sed hoc a seriori poeta factum est sermone poetico, unde non efficitur, historicum quoque scriptorem sermone prosaico eadem appellatione uti potuisse; quae si populo haud inusitata fuisset, sine dubio saepius ab auctoribus Hebraicis adhibita esset. nec magis verisimile est, quae sententia est Tielii aliorumque, Salem antiquum urbis nomen fuisse, quo antequam in Iebusitarum possessionem veniret usa sit, et quod, in Ierusalem mutatum, pulsis Iebusitis recuperaverit. Equidem non dubito, cum Relando, Rosenmüllero, aliis Hieronymo (*Epist.* 126 *ad Evagrium* et *De loc. Hebraic.*) adsentiri, Salem nostram plane aliam urbem fuisse affirmanti, eandem quae Ioh. 3, 23 Salim dicitur (eademque sine dubio in libro Iudith 4, 4: τὸν αὐλῶνα Σαλὴμ intelligenda), haud procul a Scythopoli, urbe Manassitarum, sitam, quam tunc etiam eodem sub nomine Salem extare ait (cf. etiam Epiphan. *Haer. II. p.* 469) in eaque palatii Melchisedecii ruinas ostendi; unde hoc saltem probatur, Iudaeis tunc temporis traditionem fuisse, hanc urbem principis illius

regiam fuisse; cuius situm narrationi nostrae bene congruere, recte alii iam viderunt. Quo magis miror Bohlenium huius sententiae ne mentionem quidem fecisse.

Idem denique Migdal Eder (מגדל עדר, turrim gregis), c. 35, 21. memoratum, proxime ipsam Hierosolymorum urbem collocat. Quod utrum recte fecerit, nec ne, nihil refert. sed hoc nego, scriptorem, quum loco laudato referret, Israelem ultra Migdal Eder tentoria sua fixisse in eaque regione a Rubeno flagitium cum Bilha commissum esse, de metropoli regni Iudaici omnino cogitasse, nedum eius gloriae celebrandae aut auctoritati commendandae intentum fuisse.

Neque vero Ephrata seu Bethlehem ita memoratur, ut locus sit suspicioni, scriptori urbem illam ut Davidis regis patriam et communem omnium regum Iudaeorum metropolim prae aliis cordi fuisse; non enim nisi eatenus memoratur, quatenus Rachela in vicinia urbis diem supremum obiit et sepulta est (c. 35, 16 19. 48, 7).

Maior quaedam gloria inter urbes, quae seriori tempore tribui aut regno Iudaici fuerunt, Hebroni atque Beersebae ex Genesi redundare videtur. Ad Hebronem quercetum fuit Mamre, ubi Abrahamus cum domo consedit et altare Iehovae extruxit c. 13, 18, ubi Iehova ei cum angelis apparuit c. 18, 1, ubi Isaacus etiam commoratus est, nec non Iacobus c. 35, 27. 37, 14. ibidem spelunca fuit Macphelae, quam cum agro Ephronis Abrahamus peculio sibi emit (c. 23), in qua Saram uxorem sepelivit (ib. v. 23), in qua deinde ipse Abrahamus sepultus est (c. 25, 9), nec non Isaacus cum Rebecca (c. 35, 27 sqq. 49, 31), in quam Iacobi etiam funus ex ipsius mandato per filios ex Aegypto transportatum est (c. 49, 29 sqq. 50, 13). Fuit autem Hebron civitas haud ignobilis in montanis Iudae (Ios. 20, 7), olim regis Cananaei sedes (Ios. 12, 10), cuius regio Calebo trâdita est, ipsa urbs sedes sacerdotalis et locus asyli constituta (Ios. 14, 6 sqq. 15, 13. 20, 7. 21, 11 sqq.), post Sauli autem mortem per septem annos et sex menses Davidis regia facta, qui ibidem, Isbosetho occiso, Israelis rex unctus est, donec Hierosolymis potitus in hanc urbem sedem regiam transferret (2 Sam. 2, 1 sqq. v. 11. c. 5, 1—5. 1 Chron. 3, 1 sqq. 12, 1—3. 13, 23. 38). Quod autem tunc temporis locus sacer fuerit quo Iehovae sacrificia offerrentur,

docent quae 2 Sam. 15, 7 sqq. de Absalomo narrantur; cf. ib. 5, 3. A Rehabeamo munitam legimus 2 Chron. 11, 12. Neque tamen seriori tempore ea inter Iudaeos auctoritate fuisse videtur, ut per se veritatis aliquam speciem habeat, sexto aut septimo a. Ch. seculo dedita opera a populo Iudaico aut a singulo scriptore mythos fictos esse, quibus falso eius nomen in patriarcharum aevum referretur. quod si narrationes illae ad Hebronis famam celebrandam fictae essent, earum origo in antiquiore aetate, ut Davidica, collocanda esset. At vero si quis sine praeiudicio haec legerit, is omnino haud facile Hebronis celebrandae caussa enarrata ea dixerit, ne dicam conficta, quum ne in ipsa quidem urbe patriarcharum commoratio atque sepultura collocentur, sed in loco in urbis vicinia sito, cuius seriori tempore scriptura mentionem non amplius fecit. Integra autem, quae c. 23 legitur, de spelunca Macphelae ab Abrahamo acquisita narratio accuratissima quantam veritatis historicae atque authentiae speciem prae se ferat, diligentem lectorem non effugiet, qui nec facile sibi persuadebit, non nisi eo consilio relatam esse rem, imo vero ementitam, ut patriarchae eiusque posterorum privilegium de tota terra Canaan sisteretur; hoc enim privilegium non nisi dei gratia et promissis nitebatur, neque coram hominibus eo confirmari poterat, quod patriarcha singularem terrae agrum eumque minimi ambitus ab eo qui hucusque possiderat legitima ratione argento sibi emisset.

Beerseba autem ipsa quidem per tempus sedes et Abrahami et Isaaci fuisse videtur, v. c. 21, 33. 22, 19. 26, 23 sqq. 28, 10. Abrahamum ibi legimus tamariscos plantasse et Iehovae dei aeterni nomen invocasse (c. 21, 33), Isaacum eidem deo, qui ipsi apparuerat laetaque promiserat, altare exstruxisse (c. 26, 24 sq.), nec non Israelem, in Aegyptum iter facientem, Beersebae deo patris Isaaci sacrificia obtulisse, qui huic quoque patriarchae ibi apparuit eumque ut bono animo iter susceptum perficeret confirmavit (c. 46, 1—4). bis denique unde nomen urbs traxerit enarratur (c. 21, 31. 26, 33.). Quae concedo ita enarrata esse, ut quis, etiamsi ad mythicum genus nihil referat, cum Bohlenio coniicere possit, auctori urbem illam prae aliis cordi fuisse. sed eidem hoc probabile videbitur, non ea qua Bohlenius vult, sed antiquiori aetate relationes istas concinnatas esse. Etenim Beerseba, in extremis Palaestinae finibus meridiem versus sita, urbs haud exigua fuisse videtur;

fuit illa sedes filiorum Samuelis, quos pater iudices populo praefecit (1 Sam. 8, 2). licet secundum Ios. 19, 2. tribui Simeonis sorte contigerit, tamen post Israelis a regibus Davidicis defectionem, ut alia quaedam Simeonis oppida (v. de Wettii *hebräisch-jüdische Archäologie* §. 139. Winer *bibl. Realwörterb.* Edit. 2. I. p. 738. not. 2.), regni Iudaici fuit (1 Reg. 19, 3. 2 Reg. 23, 8. 2 Chron. 19, 4), sicut Ios. 15, 28. inter tribus Iudae oppida recensetur, cf. 2 Sam. 24, 7. E locis Amosi 5, 5. 8, 13 sq. coniecerit aliquis, tunc temporis regni Israelitici civitatem fuisse; attamen incerta saltem haec coniectura. Hoc vero luculenter ex iisdem locis patet, fuisse Beersebam tunc temporis, Usiae regis aevo, praecipuam idolorum aut cultus divini contra legem in excelsis acti sedem, qua de caussa frequenter etiam ab Israelitici regni civibus adiretur. quem cultum illicitum ad Iosiae usque aetatem viguisse, ex 2 Reg. 23, 8. coniicere licet. Iam vero quaeso num probabilitatem aliquam habet, huius aetatis scriptorem Iudaicum eumque sacerdotem, qui scripto legitimum Iehovae cultum commendare et promovere vellet, ne dicam confictururm, sed studio quodam enarraturum fuisse, urbem illam iam antiquissimis temporibus sacram et Iehovae revelationibus et sacrificiis a patriarchis deo oblatis insignitam fuisse?

Quod autem in Beersebam, idem multo magis in alium regionis Israeliticae locum cadit, Bethelem dico, cuius nomen prae aliis omnibus celebratura videtur Genesis. Ne urgeam, iam Abrahamum in huius urbis vicinia tentoria fixisse, nomen Iehovae invocasse et altare exstruxisse (c. 12, 8. 13, 4), Iacobo locus prae omnibus sacer fuit. Ibi quum iter in Mesopotamiam faciens pernoctaret, somnium habuit de scala terram coelumque iungente, qua angeli dei in coelum ascendebant descendebantque, et Iehovam conspexit supra scalam stantem, laetissima ipsi de sempiterna, qua gavisurus sit, tutela divina et de futuro seminis incremento promittentem; unde patriarcha expergefactus laetus Iehovam hic adesse et locum istum portam coelorum deique domum esse cognovit, et, cippo erecto atque oleo effuso consecrato, nomen loco dedit Bethel, id est domus dei (c. 28, 11—19). simul autem vota fecit, quando salvus ex Mesopotamia redux factus fuerit, Iehovam se pro deo (unico) habiturum esse, cui ipso loco, quo iam lapidem erexerat, sanctuarium conditurus omniumque bonorum eius gratia ipsi datorum

decimas soluturus sit. hic enim est sensus verborum Iacobi, quae ibidem v. 20—22 leguntur. Ad hanc autem Iehovae revelationem et Iacobi votum respicitur c. 31, 13: *ego sum deus Bethelis ubi cippum unxisti mihique vota fecisti*; nec non c. 35, 1—7, ubi enarratur, ex dei mandato Iacobum, remotis atque sepultis omnibus diis peregrinis mutatisque vestimentis, Sichemo Bethelem profectum altare exstruxisse, cui nomen *Dei Bethelis* dederit; ita voto quod olim fecerat satisfecit. Denique, ut Deboram nutricem Rebeccae ad Bethelem sepultam (v. 8) omittam, eodem capite v. 9—15 legimus, Iacobo ex Mesopotamia reduci deum iterum Bethele apparuisse, ei benedixisse faustaque promisisse eiusque nomen in *Israel* mutasse, a patriarcha autem loco illo cippum lapideum erectum esse atque libamento oleoque effuso consecratum ipsique loco nomen Bethel inditum. Atque hanc quidem sectionem, quam postremo loco memoravimus, non dubium est iam in antiquiori illo scripto elohistico lectam fuisse, non item vero ceteras, quas probabile est ipsum Geneseos auctorem primum litteris consignasse. Diligentem autem lectorem fugere nequit, urbem Bethelem non solum scripti elohistici auctori, sed multo magis Geneseos diasceuastae ut locum Iehovae sacrum magnopere cordi fuisse videri. in quo equidem non possum quin utriusque scripti antiquitatis testimonium agnoscam, Bohlenii de eorum origine sententiae quam maxime repugnans. Etenim Bethel, licet Ios. 18, 22 inter urbes Beniamino tradendas recensita, a Iosephitis occupata est (Iud. 1, 22—25), qui etiam diviso regno in eorum possessione permanserunt (1 Reg. 12, 28 sqq. 13, 1 sqq.). quod autem 2 Chron. 13, 19 legimus per Abiam, Rehabeami filium, Ierobeamum de eius possessione pulsum esse, non nisi per breve tempus evenire potuit, quum seriori tempore usque ad exilium Babylonicum Israelitica ubivis urbs, non Iudaica reperiatur v. 2 Reg. 10, 28. 17, 28. 23, 15. cf. v. 17. Amos. 7, 10—13. cf. 3, 14. 4, 4. 5, 5. Ierem. 48, 13. Ex iisdem autem locis apparet, Bethelem praecipuam in regno Israelitico vitulorum et excelsorum cultus sedem a Ierobeamo constitutam esse, eumque cultum etiam a Iehu, idololatriae destructore, retentum, et vel dissoluto per Assyrios regno Israelitico per sacerdotem de exilio reducem restitutum esse, idolorum quoque cultu mixtum, donec Iosia, Iudaeorum rex, sacrorum reformationem post inventum in templo legis librum in regno Iudaico susceptam in Samariam

quoque extenderet ibique ante omnia excelsum atque altare Betheliticum deleret. Quantopere autem per totum istud aevum propter idolorum atque simulacrorum cultum illegitimum Bethel prophetis piisque Iudaeorum abominationi fuerit, praeter locos modo laudatos *Hoseas* quoque testis est, qui urbem execrandam non domum dei, sed domum vanitatis (בֵּית אָוֶן) habendam appellandumque censet (c. 4, 15. 5, 8. 10, 5. 8. cf. 8, 5 sqq.). Quae quum ita sint, quomodo quaeso fieri potuit, ut de Bethele talia, qualia Genesis refert, a scriptoribus Iudaicis septimi atque sexti a. Ch. seculi confingerentur? quomodo vel hoc ullo modo probabile duxeris, illius aevi scriptorem eumque sacerdotem Leviticum, cui legitimus Iehovae cultus cordi esset, ex iis quae de Iacobi fatis a maioribus ore tradita accepisset, ea maxime sibi electurum fuisse, quae huius urbis nomen celebratura et sacrarium cultumque divinum ibi constitutum probatura atque commendatura viderentur? Bohlenium quidem p. 163 ita audimus affirmantem, post deletum per Iosiam vitulorum cultum urbis auctoritatem et honorificum Domus Dei nomen denuo prodiisse, et Geneseos mythis ad patriarcharum aevum relata esse. At vero faciamus, Genesin non ante sacrorum reformationem a Iosia confectam conscriptam esse; ipse tamen Bohlenius non ita multo post conscriptam dicet, ut auctori, quaenam per quatuor fere secula a Ierobeamo usque ad Iosiam urbis illius ratio fuerit, in oblivionem plane venire eademque tanti ei momenti videri potuerit, ut haud satis duceret, ab uno patriarcharum eam consecrari (cf. Bohlen. p. 281); quum idem nihil haberet neque confingere neque vero a maioribus traditum referre, quo nomen Ierusalem idque boni utique ominis, sive possessionem seu habitationem pacis interpreteris, a patriarchis derivaret eamque urbem iam patriarcharum sacrificiis votisque ut locum Iehovae unice gratum designatam consecratamque ostenderet. imo, etiamsi vere ad montem Moriae pertinerent, quae c. 22 leguntur, quod equidem iterum iterumque nego, maneret tamen, multo disertius graviusque Bethelem ut locum Iehovae iam antiquitus sacrum, identidem commendari, maxime autem iis quae c. 28 de Iacobi somnio atque voto leguntur. Quid multis? Qui diligenter et sine opinione praeiudicata quae de Bethele in Genesi habentur perpenderit, haud dubitabit pro certo habere, non solum scripti elohistici auctorem, sed ipsum etiam seriorem Geneseos

nostrae diasceuastam eo tempore scripsisse, quo Iudaeorum quoque piorum animus cultu Iehovae, qui Bethele exerceretur, minime offenderetur; quod quidem post decem tribuum a Iuda et regibus Davidicis defectionem nunquam evenit, usque ad Davidem autem et tabernaculum sacrum in Sionem translatum locum habuisse dubitari nequit. Etenim tempore Pinehae, nepotis Aaronis, in urbe Bethele ipsum tabernaculum sacrum fuisse dicitur Iud. 20, 27 sq., dummodo verba ista parenthetica genuina sint, neque, quod cum Studero suspicari aliquis possit, a seriori lectore aut librario addita. sed hoc saltem ex iis, quae proxime praecedunt v. 26 sq. et v. 18 patet, Bethelem tempore illo, quo Beniaminitis ceteri Israelitae bellum inferrent, locum sacrum fuisse, quo Israelitae ab Iehova oracula peterent eique sacrificia offerrent; idemque Samuelis etiam tempore in usu fuisse, e loco 1 Sam. 10, 3 cognoscimus; neque est quod dubitemus, quin eadem loci ratio usque ad Davidis regnum manserit. Iam vero his temporibus si conscripta est Genesis, ex iis, quae de patriarcharum vita et rebus gestis a maioribus sive ore sive scriptis tradita acceperat auctor, tam multa eum recepisse quae ad Bethelis sacrarium celebrandum et commendandum facere viderentur, non mirum tibi videbitur. Salomonis aevum ipsumque Davidici regni posterius tempus maiorem iam difficultatem praeberet; frustra enim sacrarii Hierosolymitani prae Bethelitico rationem habitam quaereres. Qui autem post Salomonem librum conscriptum esse vult, eum rationes, quibus sententiam hanc fulciat et difficultates quae obstant pellat, graviores afferre oportet, quam hucusque a Bohlenio allatae sunt iisque qui eandem viam praeiverunt. Quod si autem non falsa sunt, quae de Geneseos aetate ultro sese nobis hoc loco obtulerunt, eadem scriptum illud elohisticum, quo Geneseos auctor usus est, iam ante Davidis regnum concinnatum esse docent, confirmanturque ea, quae supra de scripti huius aetate notavimus.

Minoris momenti sunt et paucis a nobis comprehendenda, quae de aliis Israelitarum urbibus in Genesi enarrantur, licet iis quoque haud pauca insint, quae sententiae Bohlenianae repugnent, nostrae faveant. Quae capp. 31—33 legitur narratio de itinere Iacobi ex Mesopotamia in terram Canaan reversi, quinque locorum, quos transierit patriarcha, ita mentionem facit, ut eorum nomina ex iis, quae ipsi tunc temporis evenerint, deriventur, Mitzpa e c. 31, 49 sq., Gilead

ib. v. 45 sqq. — noli enim dubitare, auctorem de urbe huius nominis cogitasse, eademque quae Hos. 6, 8. 12, 12. Ierem. 22, 6 intelligenda est, cf. LXX Iudic. 12, 7, quam tamen proxime Mitzpam sitam fuisse suspicor, ita ut utraque nomine *Ramoth Gilead* aut *in Gilead* comprehendi possit Deuter. 4, 43. Ios. 20, 8. 21, 36 (38). 1 Reg. 4, 13. 1 Chron. 6, 65 (7, 80), et alibi *Ramath Mitzpae* Ios. 13, 26. — Mahanaim c. 32, 2, Pnuel c. 32, 30, Succoth c. 33, 17. Sunt illae urbes trans Iordanem sitae, seriori tempore cum tota regione tribubus Israeliticis traditae. Quae autem ad nominum origines explicandas afferuntur, nihil sapiunt invidi aut malevoli; sunt enim honesta et quae posterorum animis insinuare locos valerent, quippe quibus patriarcha domum sibi et tuguria pecori exstruxerit, cum cognatis foedus icerit in perpetuamque eius rei memoriam cippum erexerit, ubi angelos offenderit et gloriosum cum ipso deo certamen sustinuerit, unde novum nomen Israël acceperit. quae quidem concedes parum probabile esse a scriptore Iudaeo post Israelitarum a tribu Iudae defectione ex iis, quae de patriarcharum rebus gestis maiorum traditio referebat, prae aliis electa receptaque, nedum ab ipso dedita opera conficta esse; idque eo minus, quum ex Hoseae prophetae oraculis videre liceat, quantopere tunc temporis prophetis piisque Iudaeorum Mitzpa et Gilead propter cultum sacrificiis ibi plurimis exercitum abominationi fuerint (Hos. 5, 1 sq. 6, 8. 12, 12). Antiquiori autem tempore, ante divisum regnum, si scripta haec statues, difficultatem tibi non creabunt, quum tunc temporis auctor, cuiusnam tribus civis esset, omnes illos locos ita colere posset, ut quae de eorum nominum origine maiorum traditione acceperat, silentio non praeteriret. Et Mitzpam quidem Gileaditicam, Iephthae urbem, huius iudicis tempore locum Iehovae sacrum fuisse docet locus Iud. 11, 11. cf. 10, 17. 11, 34. 29; aliis enim locis, ut Iud. 20, 1. 21, 1. 5. 8 dubitari potest, utrum Gileaditica urbs intelligenda sit, an, quod vulgo statuunt, Beniaminitica eiusdem nominis, quam 1 Sam. 7, 5. 12. 16. 10, 17 intelligendam esse dubitari nequit. Gileaditicam autem Mitzpam, siquidem, ut iam monuimus eadem est cum Ramoth Gilead, urbem sacerdotalem fuisse et asyli locum, videmus e locis Deuter. 4, 43. Ios. 20, 8. 21, 38. 1 Chron. l. l. Nec minus inter urbes Levitis tradendas *Mahanaim* recensetur Ios. 21, 39, quam etiam Davidis et Salomonis aevo urbem haud exiguam

fuisse, docent loci 2 Sam. 2, 8. 17, 24. 27. 1 Reg. 2, 8. 4, 14. Neque tamen istae rationes urbes illas Iudaeo scriptori post regnum divisum commendare potuissent. — Idem magis etiam de Sichemo valet, quod in montanis Ephraimi situm in libro Iosuae inter urbes Levitis tradendas et quae asylo futurae sint recensetur (c. 20, 7. 21, 21), imo sacrarii Iehovae sedes fuisse fertur (ib. 24, 1. 26); ibidem Iosephi ossa ex Aegypto transportata sepeliuntur (ib. v. 32). Quum vero haec urbs post decem tribuum a regibus Davidicis defectionem Ierobeami facta sit regia (1 Reg. 12, 25), in eiusdemque possessione regnum Israeliticum et provincia Samaritana semper permanserint, parum probabile est, seriorem scriptorem Iudaeum dedita opera eius famae aliquid additurum fuisse, dum primus litteris consignaret, quin fingeret, iam patriarchis celebratissimis Iehovam ibi apparuisse ab iisque altaria deo erecta esse (Gen. 12, 6 sq. 33, 18—20.). Quod autem Bohlenius ait (p. 325), auctorem c. 34 Sichemi civibus exprobrare velle, quod non gente sint Iudaei (?), sed ab ethnicis orti, serius demum circumcisi et severa tunc a maioribus castigatione affecti, ut alia taceam, quae afferre taedet, non cogitasse videtur vir acutus, ita rem in Genesi enarratam esse, ut seriores Sichemi incolae nullo modo eorum posteri considerari possint, qui Iacobi aetate urbis cives essent, quum viros omnes a patriarchae filiis occisos legamus (v. 25), infantes autem atque mulieres captivas abductas esse (v. 29). Ex ipsa autem Geneseos relatione quam ignominiosum appareat Iacobi filiorum maximeque Simeonis atque Levi facinus Sichemitarum caede patratum, qualemque veritatis historicae speciem narratio in se habeat, iam supra significavimus. — Quae autem ex Iudaeae urbibus praeter eas, de quibus iam supra egimus, in Genesi adhuc memorantur, idque in ipsius Iudae historia, Adullam dico, Chesib, Thimna et Enaïm (c. 38, 1. 5. 12. 14. 21), neque tantae apud Iudaeos fuerunt auctoritatis neque tali ratione memorantur, ut quis earum caussa quae legimus a serioris aetatis Iudaeo enarrata, imo ficta esse suspicari ullo modo possit.

Atque haec quidem quae attulimus licet pauca sufficere arbitramur ad probandum, quam parum certa sint, quae Bohlenius certissima esse vult, quam multa graviaque sententiae de sera Geneseos aetate et argumento mere mythico, quam evidentissimam praedicat, repugnent, quantopere indulserit

auctor praeiudicatis opinionibus, quas aliis librorum Veteris Testamenti interpretibus vehementer exprobrat, quam parum denique ipse in iis, quae hic illic de libri conscriptione atque ingenio profert sibi constet. Auctor quidem librum suum scholae simul atque domui, ut ipsius verbis utar (praefat. p. VI), scriptum esse vult. neque hoc eius consilium per se improbamus. non enim eam in ecclesia nostra theologorum atque laicorum rationem statuimus, ut illis scientiam quandam esotericam vindicare liceat, a qua laici plane sint arcendi; neque iustum censemus, de ipsius canonis librorum origine aut indole atque sensu laicos alia doceri, quam quae vera esse aut admodum probabilia in theologorum scholis forte constet. Iidem vero arbitramur, si quis interpretem sese exhibere velit, qui theologorum scita inventaque cum laicis communicet, ei multo etiam religiosius, quam iis, qui sua viris doctis examinanda proponunt, cavendum esse, ne singuli cuiusdam viri aut sua ipsius placita pro ipsa veritate, de qua iam dubitatio non extet, venditet, neve in iis, quae plerisque fide sancita sunt, destruendis sibi placeat, etiamsi ipse eorum loco meliora aut veriora exstruere non valeat. A qua quidem cautione auctor plurimum abesse nobis videtur; imo ea est eius libri indoles, ut fieri non possit, quin critica librorum sacrorum tractatio multis non laicorum solum, sed theologorum quoque de novo in malam suspicionem cadat. Quo magis iis, qui nobiscum persuasum sibi habent, veram ecclesiae nostrae theologiam sine liberrimo librorum sacrorum critices exercitio coli non posse, hoc iniunctum sibi habebunt, ut quantum in ipsis sit, pseudocritices arrogantiam proterviamque castigent eiusque assertiones sanioris critices usu redarguant, ita vero ut ne cum falsis vera simul abiiciant. Cui quidem officio nos, scribendi occasione data, ex parte saltem pro viribus satisfacere voluimus.

Occasionem autem scribendi nacti sumus laetissimam. Indicendum enim nobis est

SOLEMNE NATALITIUM

FRIDERICI WILHELMI III.

REGIS AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI

in universitatis nostrae, cuius conditor est munificentissimus, aula hora XI publica oratione celebrandum. Erit quidem laetitia nostra dolore quodam mixta. quod enim sperabamus fore, ut post undecim annorum absentiam provinciae Rhenanae cives Regis clementissimi faciem denuo adspicerent, id iam non futurum esse his ipsis diebus comperimus. Nec tamen dolori sola-tium suum deest. Comperimu senim, non valetudine Regem impediri; et ne de Eius amore dubitemus, ablegabit ad nos Filium primogenitum dilectissimum, regni haeredem. Grato igitur animo natalem Regis celebremus. Laetitiae autem nostrae atque pietatis interpretem habebimus solertissimum atque ex-perientissimum, AUGUSTUM FERDINANDUM NAEKE, collegam honoratis-simum. Atque hanc solemnitatem ut praesentia sua solemniorem reddere velint, non solum Universitatis Professores et Doctores, sed etiam Regis ad Universitatem Delegatum, Proceres civitatis, denique omnes, qui Universi-tati nostrae litterisque favent, ea qua par est observantia rogamus. Inprimis autem Vos, commilitones humanissimi et dilectissimi, rogatos volumus, ut frequentes adsitis. non ignotum enim Vobis est, oratione finita ipsum orato-rem quinque Universitatis Ordinum iudicia de dissertationibus eorum, qui quaestionibus superiori anno propositis operam navarunt, et victorum no-mina promulgaturum esse, et deinde quaestionum novarum argumenta enuntiaturum. Atque illa quidem in appendice huic commentationi adii-cienda mox typis etiam excudenda atque publicanda curabimus. novarum autem quaestionum argumenta iam hic indicanda sunt.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM

Tam e sacrarum litterarum, quam e traditionis christianae documentis probetur orandi legem atque necessitatem christianis hominibus, propo-sitam esse, quo facto accurate explicetur, utrum oratio inter virtutes

ipsas connumeranda sit, an vero ad assequendam pietatem atque virtutem medii tantummodo vim atque rationem habeat.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM

duas proponit quaestiones, quarum prior ex anno superiori repetitur, posterior nunc primum exhibetur:

I. *Quae nuper de aetate et origine posterioris libri Zachariae partis disputata sunt, conferantur et diligenti crisi subiiciantur.*

II. *De origine, caussis et fatis instituti in ecclesia Christiana, quod disciplina arcani dicitur.*

ORDO IURECONSULTORUM

Exponatur ex omnibus iuris Romani fontibus de Adiudicatione doctrina.

ORDO MEDICORUM

Praemittatur succincta morborum systematis Gangliorum propriorum in universum adumbratio fidis aliorum observationibus nitens; et tum specialius, quantumque fieri potest, propriae necroscopiae auxilio, examinetur, an sint in Typhi specie hodie sic dicta abdominali propriae gangliorum abdominalium passiones vel mutationes texturae eorum organicae, et quales?

ORDO PHILOSOPHORUM

quatuor quaestiones proponit:

I. *De similitudine et dissimilitudine agatur, quae intercedunt inter cognitionem philosophicam et mathematicam; idque ita ut Platonis et Aristotelis, Kantii et Herbarti hac de re sententiarum et disceptationum accurate ratio habeatur.*

II. *Quae de fide Herodoti tum apud veteres, tum a recentioribus in utramque partem disputata sunt, iusto ordine disposita, accurate pensitentur novisque rationum momentis confirmentur aut impugnentur.*

III. *Postulatur S. Bonifacii primi Archiepiscopi Moguntini, Germanorum apostoli cognomine ornati, laudatio.*

IV. *Disseratur de rebus, quibus inter prophetas Hebraeorum prioris et posterioris aetatis discrimen sit statuendum, ita ut quae sit sermonis ac linguae differentia inter utramque partem potissimum examinetur.*

Agite igitur commilitones, accingite vos ad certamen. campum habetis, in quo vires vestras exerceatis; descendite in hanc arenam. persuasum vobis habeatis, nihil flagitari, quod iuvenum vires superet; hoc vero flagitamus, ut qui certaturi sint strenue certent intentisque viribus. Monemus autem vos de fixo atque immobili termino, d. III. Maii, quo elapso certatorum scripta non amplius admittentur.

D. in Universitate Fridericia Wilhelmia Rhenana, d. 21. Iulii. a. MDCCCXXXVI.